13

LAVREA IATROPHYSICA

A D. VINCENTIO BELLINSANIO LVCENSI IN ALMO ROMANAE SAPIENTIAE Lycèo ſolemni ritu, communi plauſu relata

A LVDOVICO MARRACCIO Congreg. Cleric. Reg. Matris Dei Lucenſi in eodem Lycèo Arabicæ linguæ Profeſſore in lucem vulgata.

AD PERILL. ET EXCELLENTISS. D.

D. LVDOVICVM BELLINSANIVM LVCENSEM ARCHIATRORVM COLLEGII PRIOREM Almæ Vrbis, totiuſq. Eccleſiaſtici ſtatus Protomedicum Generalem, & eiuſdem D. VINCENTII Patrem Amantiſſimum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Typis Franciſci Monetæ. MDCLXV.

Superiorum permiſſu.

1.1 .. [illegible handwriting]

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

O. A. Patracen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Io. Dominicus Leonius Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Palatij Apoſt.

Digitized by Google

PERILL. ATQVE EXCELLENTISS. D.

D. LVDOVICO

BELLINSANIO LVCENSI

ARCHIATRORVM COLLEGII PRIORI,

Atque Almæ Vrbis, totiuſq. Eccleſiaſticæ Ditionis Protomedico digniſſimo.

LVDOVICVS MARRACCIVS F. P.

DIIS, parentibus, ac præceptoribus nullam parem vicem referri poſſe, verè pronunciauit Ariſtoteles. Miror tamen cur non etiam Medicos his accenſuerit, quibus tantum debet humanum genus, vt, ſi velit obligatione ſe prorſus exſoluere, nonniſi vitam ipſam iiſdem rependere

poſſit. Sed hos fortaſſe à tribus illis diuerſum quid eſſe vir ſapientiſſimus minimè exiſtimauit: illos enim & deos putauit, qui mortis, vitæque Imperium habere cenſeantur: & parentes, qui vel iam extinctos, vel mox extinguendos homines pæonijs artibus in lucem reſtituant: & præceptores, qui corporearum ægritudinum curatione, etiam ad animi morbos curandos, ad ingenia acuenda, ad prudentiæ, ſapientiæque ſedem parandam pertingant. His ergo titulis ita tibi obnoxius ſum, Vir Excellentiſſime; *vt, quantumuis omni erga te officio, ac pietate cunctis ſatisfacerem; æſtimationi tamen meæ plurimum deeſſem. Illud enim tibi debeo, quo nihil mortalibus carius, nihil dulcius, nihil iucundius, vitam ſcilicet; quam à Deo Opt. Max. liberaliter acceptam, peſtilentiſſima febri mors eripuiſſet, niſi tu medica manu reſtituiſſes: Augebat periculum, commune contagium, quo Roma tunc conflagrabat; ita vt domeſtici, atque amici omnes ſalutem meam deplorarent; & non iam morienti lacrymas, ſed penitùs mortuo funus exhiberent. Per te igitur viuo* Lvdovicvs, Lvdovice *ſapientiſſime; per te vitalibus auris fruor: per te iucundiſſimis ſtudijs vacare licet: vt te, ſi non Deum, (quod Chriſtiana*

pietas

pietas vetat) parentem certè, ac præceptorem omninò, & vocare poſſim, & venerari. Hoc me impulit, vt quoniam mei nihil habeo, tua tibi, vtpotè gratiora, non ingratus offerrem. Tua, inquam; quia filij tui VINCENTII, *quem vnicè amas, & quia filius, & quia tam egregiæ Indolis, & (quod præclariſſimum ornamentum eſt) quia* Iatrophyſica Laurea *in Almo Vrbis Archigymnaſio per te, perque Archiatros omnes, quorum Collegio tu præſides, ſummo omnium conſenſu plauſuque, publicè coronatus. Hoc verò honoris inſoliti genus illius quidem virtuti, ſed tamen & meritis tuis debebatur: quippe qui & in patria Vrbe publicè in ſupremo Lycéo per triennium Philoſophicam Cathedram obtinueris; & ibidem inter Medicæ Artis Profeſſores Principis, ac Protoiatri decus geſſeris; & Romæ à Nobiliſſimis Virorum Principum, Patrumque Purpuratorum Familijs ſummo ſemper in pretio, atque in honore habitus ſis: vt iure optimo Excellentiſſimus Collegarum tuorum Senatus primos tibi gradus communi conſenſu demandauerit.*

Huc accedit, quòd VINCENTIVS *idem aliquantum temporis me præceptore, in humanioribus literis vſus, & bonitate ingenij, & morum ſuauitate,*

& animi candore non mediocriter me ſibi deuinxit: Vt etiam in gratiam ipſius hoc tibi obſequium præſtare compellar: Deindè & ipſa mei, tuique nominis ſimilitudo, & quòd in eodem Lycèo, in quo tu Dux, ille emeritus miles ſpectaculum virtutis feciſtis, ego in Arabico puluere curriculum moueam, vt tibi aliquod beneuolentiæ, ac ſocietatis pignus exhiberem, non inuitum adegit. Quod verò hoc potiſſimùm exhibuerim, ex eo factum eſt, quia multorum precibus parendum mihi fuit, præſertim Collegarum, & amicorum meorum, atque etiam tuorum, qui illud à me inſtantiſſimè efflagitabant. Excipe tu hoc ipſum, Vir Excellentiſsime, *læta fronte, facilique dextra: ne non tam meum, quàm tuum munus ingratum habere videaris. Viues profectò in hoc tu cum* Vincentio *tuo etiam poſt funus. Et fortaſsè vitam illam, quam tu mihi Medica arte ad decimum iam annum reſtitutam produxiſti; hoc domeſtica virtutis tuæ monumento euulgato, tibi, atque illi perennem rependam. Vale.*

ELEN-

ELENCHVS

HODIERNORVM MEDICORVM

ROMANI COLLEGII

Quod in Antiquis IVSTINIANI legibus,
Et Archiuijs Sanctæ Sedis Apoſtolicæ
Archiatrorum appellatur
Collegium,
Ante multa ſæcula ob Reipublicæ vtilitatem
A Romanis Imperatoribus inſtitutum,
& deinde
à Summis Pontificibus
Reſtitutum, & confirmatum,
Et multis priuilegijs & ampla iuriſdictione
illuſtratum.
Quorum DD. Medicorum
Alij ſunt
In Almo Vrbis Gymnaſio.
Inſignes, & publici Profeſſores;
Alij
In Archihoſpitalibus Vrbis
Medici deputati:
Omnes autem Romæ
A multis Eminentiſſimis Cardinalibus,
Excellentiſſimis Principibus,
Alijſque tum Eccleſiaſtici

Digitized by Google

Tum ſæcularis
Ordinis Optimatibus
Summo ſemper in pretio
Habiti

Illuſtriſſimus D. MATTHIAS NALDVS Senenſis S. D. N. PP. ALEXANDRI VII. à Secretis Medicus.

D. LVDOVICVS BELLINSANIVS Lucenſis eiuſdem Collegij Prior, & Almæ Vrbis, totiuſq. Eccleſiaſtici Status Protomedicus Generalis hoc Anno 1665.

D. CAESAR MANNVCCIVS Peruſinus Primus Conſiliarius.

D. IO. MARIA CONSTANTIVS Romanus ſecundus Conſiliarius.

D. BENEDICTVS RITA Leoniſſanus Collegij Decanus.

D. FRANCISCVS SANTVCCIVS Romanus.

D. IO. BAPTISTA BENCIVS ab Aquapendente.

D. CAROLVS VALLESIVS Niuduburgenſis.

D. FRANCISCVS FONFONIVS à Monte Fortino.

D. PETRVS PAVLVS REALIS.

D. ANTONIVS PLACENTIVS Amerinus.

D. IO. FRANCISCVS SINIBALDVS Romanus.

D. IOANNES TRVLLVS Romanus.

Digitized by Google

EPISTOLAE
COMMISSORIALES
AD
D. VINCENTIUM
BELLINSANIVM LVCENSEM

In Philoſophia, & Medicina examinandum

EE. DD. EXAMINATORIBVS DIRECTÆ,

eorumq. Reſponſiones fidem reddentes.

Digitized by Google

PERILLVSTRI, ET EXCELL.^MO

D. FRANCISCO SINIBALDO

in Philoſophia Examinatori ordinario.

D. VINCENTIVM BELLINSANIVM *ad Doctoratus in Philoſophia, Medicinaque apicem peruenire cupientem vigilantiſſimæ Dominationis Veſtræ ſolertiæ committimus, vt eius idoneitas ad tanti honoris culmen diligenti, debitoque examine in Philoſophia comprobetur, & de eius habilitate præcognita nobis teſtimonium reddat, Ex ædibus noſtris hac die 25. Octobris 1665.*

Dominationis Veſtræ Excellentiſſimæ

Addictiſſimus Seruus

Ludouicus Bellinſanius Protomedicus Gnlis.

PER-

Digitized by Google

PERILLVSTRI, ET EXCELL.MO D.

LVDOVICO BELLINSANIO

PROTOMEDICO GENERALI.

EXaminaui, vt iuſſit Dominatio Veſtra Excellentiſſima prædictum D. VINCENTIVM BELLINSANIVM, quem & tanto Genitore digniſſimum Filium, & ad Doctoratus Lauream conſequendam maximè idoneum inueni. In quorum fidem &c. Ex ædibus noſtris die 6. Nouembris 1665.

D. V. Excellentiſſimæ

Addictiſſimus ſeruus
Io. Franciſcus Sinibaldus Examinator.

PER-

PERILLVSTRI, ET EXCELL.MO

D. IOANNI TRVLLO

In Philoſophia Examinatori ſpecialiter Deputato.

A D Dominationis Veſtræ Excellentiſſ. Oraculum D. VINCENTIVM BERLINSANIVM *in Philoſophia examinandi, tentandique gratia mittimus, quo examinato nos de eius ſufficientia, idoneitateque certiores faciat. Ex ædibus noſtris hac die 27. Octobris 1665.*

D. Veſtræ Excellentiſſimæ

Addictiſſimus Seruus.

Ludouicus Bellinſanius Protomedicus Gñlis.

PERILLVSTRI, ET EXCELL.MO D.

LVDOVICO BELLINSANIO

PROTOMEDICO GENERALI,

NAtum ſuum dignisſimum VINCENTIVM BELLINSANIVM ad duram Philoſophiæ examinis incudem reuocaui, cuius ingenium aureo metallo æquabile inueni, cum nulla eo excellentior, puriorque ſubſtantia habeatur, quæ magis diſpoſitè percutienti malleo obediat; ſimili modo Dominationis Excellentiſſimæ Veſtræ natum in omnibus Philoſophiæ materiebus agitatum, & percuſſum quouis auro perfectiorem eſſe deprehendi, ideoque doctorali Laureo diademate coronetur. In cuius fidem hanc firmaui die 24. Octobris 1665.

D. Veſtræ Excellentiſſimæ

Obſequentiſſ. & animo ſacratus famulus
Ioannes Trullus in Philoſophia Examinator
ſpecialiter Deputatus.

PER-

PERILLVSTRI, ET EXCELL.MO

D. ANTONIO PLACENTIO

In Medicina Examinatori Ordinario.

CVm circa nobiliſſimum hominis corpus verſari debeat quiſque Medicinæ profeſſor; hinc oritur, vt eruditum illum eſſe oporteat, quò bene ſuum exerceat munus, non ſolum in ſubtiliſſimis Philoſophiæ Theſibus, verum etiam in ſanioribus Artis Medicinæ dogmatibus, vt ſe præſtare queat opportuna facientem; quapropter cùm D. VINCENTIVS BELLINSANIVS ad Doctoratus in Philoſophia, & Medicina gradus aſpirãs talibus ſanis præceptis imbutus eſſe debeat, nè immerenti à Sapientiſſimo Archiatrorum Lyceo Laurealia ſerta conferantur, probatiſſimæ experientiæ Dominationis Veſtræ illum committimus, cauſa ipſum ſuis doctiſſimis ſylogiſmis in Medicina tentandi, vt eius ad tale munus habilitas noſcatur, & de eius ſufficientia nos commoneat. Ex ædibus noſtris hac die 24. Octob. 1665.

Dominationis Veſtræ Excellentiſſimæ

Dicatiſſimus ſeruus
Ludouicus Bellinſanius Protomedicus Gñlis.

PER-

PERILLVSTRI, ET EXCELL.MO

D. LVDOVICO BELLINSANIO

ATLANTI MEDICINAE FORTISSIMO Protomedico Generali Prudentiſſimo, & Medicorum Celeberrimo.

QVem Dominatio Veſtra Excellentiſſima examinandum commiſit Filium ſuum, ea cum expectatione excepi, qua Sapientiſſimi Patris imaginem, ſeu epitomen excipere decebat. Nec dubitandum erat quin expectationi reſponderet, quandoquidem nonniſi Aquilæ pullus hoc proprium habet, vt ad Solis fulgorem dignoſcatur, vt Seneca canit in Hippolyto:

Redit ad Authores genus,
Stirpemque primam degener ſanguis refert.

Arduo quidem, ac multiplici Medicinæ examine eius ingenium tentaui; nam quinque partes, quibus ipſa integratur, videlicet Phyſiologiam, Parthologiam, Semioticam, Hygienam, ac Therapeuticam adamuſſim perluſtrauimus, ſed nil ſcientificũ quæſiui, quod ſcitè non expoſuerit, nil obſcurum obieci, quod clarè non dilucidauerit, & nil diffi-

cile

cile propoſui, quod facilè non enodauerit: Præterea in practicam arenam deduxi, in qua miſeri quidam ægrotantes acutis morbis conflictabantur, & obſtupui, quam ſagaci indagine morborum eſſentias, eorumque cauſas cognouerit, quam ſolerti iudicio incertos euentus præuiderit, & quàm ſelectis panaceis priſtinam ſanitatem reſtituerit. Quamobrem fateri liceat, quòd ex adhuc tenellis vnguibus ſtrenui Leonis indolem cognoui, qui temporis progreſſu eximiæ fortitudinis exempla memoranda daturus ſit. Dedecet igitur vt vlterius ſub diſciplina detineatur, ſed Doctorali Laurea cohonorari, & Magiſter creari dignus eſt, vt inſtar lucernæ in candelabrum exaltatus omnibus luceat, ac ſplendeat. Sic cenſeo, deque hac veritate Dominationem Veſtram Excellẽtiſſimam certiorem facio, quæ dum præcoces floridæ huius planctæ fructus publicè deguſtandos offeret veridicam reddet Senecæ cenſuram, qui epiſtola prima ad Lucilium inquit, *Non exiguum temporis habemus, ſed multum perdimus: ſatis longa vita, & in maximarum rerum conſummationem largè data eſt, ſi tota benè collocaretur, ſed vbi per otium, ac negligentiam defluit, vbi nulli rei bonæ impenditur, vltima demum neceſſitate cogente quam ire non intelleximus, tranſiſſe ſentimus;* Ita eſt non accepimus breuem vitam, ſed fecimus, nec inopes eius, ſed prodigi ſumus. Alacri itaque ac fidenti animo incœptum opus, ſpeſque altas eluceſcentes quæſo proſequatur, & ego dum obſequioſiſſimus

ſiſſimus veſtram dexteram exoſculor fidenti pariter animo auſpicor, quòd iuxtà Virgilij carmen Egloga 5.

Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

Ex ædibus meis hac die 26. Octobris Ann. 1665.

Dominationis V. Perill. & Excellentiſſ.

Addictiſſ. & Obſtrictiſſ. Seruus
Antonius Placentius.

PERILLVSTRI, ET EXCELL.MO

D. IO. BAPTISTAE

BENCIO

In Philoſophia Examinatori ſpecialiter Deputato.

D. VINCENTIVM BERLINSANIVM *filium noſtrum ad Doctoratus in Philoſophia, & Medicina gradus aſcendere cupientem, ad Dominationem veſtram Excellentiſſimam, vt partes noſtri muneris exigunt, mittimus, vt diligenti examine circa Medicinam probet, an eius petitioni tutò ſatis fieri poſſit. Excipiat eum (precor) Dominatio Veſtra Excellentiſſima benignè, & hilari fronte, vt filium noſtrum, ſed vt verè aduena, & peregrinus eſſet, ſtrictè, & rigorosè exami-*

examinet, & quicquid circa eius idoneitatem ſentiat candidè, & purè referre dignetur. Ex ædibus noſtris hac die 20. Octobris 1665.

Dominationis Veſtræ Excellentiſſimæ

Addictiſſimus Seruus

Ludouicus Beſſinſanius Protomedicus Gñlis.

PERILL. ET EXCELL.MO D. COL.MO

D. LVDOVICO

BELLINSANIO

Collegij Rom. Medd. Priori, & Protomedico Generali.

EXpoſuit Perilluſtris, ac Excellentiſſima D. V. Medicorum Aquila, VINCENTIVM filium, probatura Solis luce generoſam intellectus aciem rigoroſo nempè Medico examine. Superfuit periculo, & non Aquilæ modo filium, ſed vt Aeſculapium Apollini, vel æmulum ſe opere probauit, dum Hippocratis obſcuritati, vt nocti diem affert, argumentorum nubes diſijcit, & propoſitos ægrotantes ſanitati, ſerenitati donat. Eſt igitur D. VINCENTIVS BELLINSANIVS Dominus meus, digniſſimus filius E.V. quæ eſt Medicorum Princeps, Collegij Prior, Eccleſiaſticæ Ditionis Protomedicus Generalis, Purpurarum, Religione magis micantium, Apollo, fulcrum, valitudo, ſanitas, vita.

Emergat tandem à domeſtica Pallade inſtitutus VINCENTIVS, & de vmbratili Medicinæ, & Philoſophiæ diſciplina fiat laureatus laudatus Doctor; Deſcendat in Theatrum publicum non more priua-

to,

to, ſed publico modo, qui non adhuc puber pro publico tot habuit cogitationes canas; illi tota Medicorum Reſpublica, Literatorum Chorus publicè plaudat, & canat. Hoc iterum rogo; Si me audiat, factum euadet auguſtum, filiolo iuſtum, mihi lætum; Collegis gratum, Medicis omnibus plauſibile, glorioſum E. V. cui ſincero Cordis animo manus ter ſuauior, vt E. V. Perill.

Ex noſtro Muſeo die 10. Nouemb. 1665.

Datus, Deditus, Deuotus Famulus
Io. Baptiſta Bencius Medicinæ Examinator Deputatus.

Digitized by Google

EXPOSITIO TEXTVVM

ARISTOTELIS, ATQVE HIPPOCRATIS.

In punctis de more aſſignatorum

D. VINCENTIO BELLINSANIO LVCENSI.

SI nomina factis reſponderent; ex fælici nomine fælix omen expectare liceret; præſtantiſſimi Auditores; Et mihi VINCENTII BELLINSANII nuncupato nomine, literariam cùm pugnã aggrediar, victoria proximè arridèret. At fallunt, heù! nimis fallunt nos nòmina: & cùm ex verbis tantum conſtent, facta procul abſcedunt, & abeunt.

O quàm pulchrum ſanè bellum eſſet, ſi belli nomini res ipſa conſonaret! Quis ab hac diſcederet vita, ſi Parcæ ſolerent parcere? Quis in ipſa non lætaretur morte, cùm omnium terribiliū vltimum ſit, ſi lethum ipſum verè lætum hilareq; eſſet? Vnde ſi antea vulgo ferebatur,

Conueniunt factis, nomina ſæpè ſuis.

Ego dememet ipſo veriùs dicere poſſem.

Conueniunt factis, nomina nulla meis.

Sed Veſtra, Archiatri Excellentiſſimi, ſingularis humanitas, ac beneuolentia ſententiæ rigorem mulcet, & mitigat, & qui tot malis aptiſſima adhibere ſoletis medicamina, meæ quoq; infirmitati, ac tenuitati, efficacia præſtabitis remedia; Eia igitur litterarium propiùs aggrediamur prælium.

Vbi, Diuino implorato præſidio, ad textuū in punctis mihi à Perilluſtri, & Excellentiſſimo Domino Protomedico de more aſſignatorum explicationem accedo.

Et quia Philoſophia, quaſi nobile, & ſolidum Medicinæ rationalis fundamentum eſt; à textu philoſophico exordium ſumo. Qui quidem textus eſt 17. Secundi libri phyſicorum Ariſtotelis;

&

& illud inquirit: *Vtrum vnum, an plura ſint, pars, & totum*, & quæ ſequuntur.

Producit Stagirita in theatrum phyſiologicũ ſub textu 17. de æqualitate, & inæqualitate partium ad totum, & totius ad partes diſceptationem non aſpernandam, quæ inter Thomiſticã, & Scotiſticam palæſtras animos exacuit, vt vulgò ſi non in alijs, ſaltem in præſenti, maximè ingenij acumine digladientur. Hinc eſt, quod dubius ſemper fui, cui primas concederem. Sunt equidem ex vtroque agmine inuictiſſimi rationum enſes, quos ſi ex vna in alteram intueri partem ardeat animus, paratos in me inueniam; quid faciam, hæret animus. Conſultiùs mihi ſemper fuit, vtramque arripere, vtramq; tueri, vt poſſim, ſecundante fortuna, ab vtraque defendi. Et cum bellum, vt iuſtum ſit, cauſis innixum eſſe oporteat, vnde ratio eruatur; ſciendum eſt, Philoſophum textu 15. huius ſecundi capitis libri primi phyſicorum, in quo de principijs agere aggreditur, Aduerſariorum opiniones repellendo, inuehi in Meliſſum, qui vnum eſſe omnia aſſerebat, ſed hoc infinitum. Contra quem ad hominem arguit Ariſtoteles non poſſe

omnia

omnia vnum eſſe: nam hæc omnia, vel eſſent ſubſtantia, vel qualitas, vel quantitas: ſi ſubſtantia, vel eſſet ſimplex, vel compoſita, vel communis; ex his ſemper deduci debet non poſſe omnia vnũ eſſe: igitur &c. Et demonſtrat, quòd ſubſtãtia ſimplex nequit eſſe infinita, quia infinitas eſt paſſio quantitatis, quã ſi negat Meliſſus, negat infinitatem, & per conſequens falſum eſt, quod omnia ſint vnum infinitum; ſi dicit ſubſtantiam communem, iam plura ſub ſe continet. Commune enim eſt id quod à pluribus abſtractum ad ipſum aptum eſt deſcendere; ſi quantitatem, vel qualitatem, iam daretur accidens extra ſubiectum, contra ipſius accidentis eſſentiam, quod debet inhærere ſubiecto. Hac ergo ratione conuicto Meliſſo, deſcendit Philoſophus ad textum 16., in quo ipſum ad extremum reducere conatur ex ipſiſſima ratione vnius. Quippè vnum, vel continuum, vel indiuiſibile eſt; vel ſpecie, ſeu definitione, & ex ratione vltimi, quod ſcilicet definitio conſtet ex genere, & differentia; infertur clarè, omne non eſſe vnum ſimpliciter, ſecus non daretur, vnde ſumenda eſſet ratio differendi, & conue-

nien-

niendi. Præterea indiuiſibile eſſe nequit, quia euerteretur poſitio quantitatis, cum ab hac res dicatur diuiſibilis. Ex his capitibus iam omnia, quæ inueniuntur, non ſunt vnum ſimpliciter. Si incidat in continui vnitatem, etiam patet, nec eſſe ſimpliciter vnum, quia continuum in infinitum ſecari, & diuidi poteſt: actu, vel poteſtate plura; Ex quibus verbis naſcitur occaſio noſtræ dubitationis cum Philoſopho textu 17. aſſerente (eſt autem de parte, & toto dubitatio, vtrū pars, & totum vnum ſint, an plura, & quo pacto)

Cuius Textus difficultas in hoc maximè conſiſtit, an quando partes ſunt vnitæ media vnione, realiter ſint aliud à toto, quod ex ipſis reſultat? vt eſſet homo phyſicè ex materia, forma, & vnione compoſitus, ſitne quid aliud ab iſtis componentibus? Et videtur quod ſit, quia habet maximum fundamentum in cauſis, quæ diſtinguuntur realiter à ſuis effectibus; ſed ſic eſt, quod partes etiam vnitæ ſunt cauſa realis totius, igitur partes à toto ſunt aliud realiter. In prima propoſitione eſſe poſſet diſtinctio, nempè quod ſolum cauſa realis extrinſeca diſtinguatur à ſuo effectu: non verò cauſa intrinſeca, vt ſunt par-

tes reſpectu totius, quia cauſant per ſuimet exhibitionem, & quod erat antecedenter cauſa, fit effectus. Verùm iſta obiectio non ſoluit rationem adductam, nam etiam cauſa realis intrinſeca dicit cauſalitatem, quam non dicit compoſitum, ergo cauſa realis, etiam intrinſeca, diſtinguitur à ſuo effectu.

Dicunt contra primam propoſitionem, cauſam intrinſecam, ſolum eſſe veram cauſam partialiter, non verò adæquatè: puta, vel materia cum vnione, vel forma cum vnione, non autem materia, forma, & vnio ſimul ſunt cauſa totius.

Contra eſt, quia tunc materia, forma, & vnio ſunt actu cauſæ, quando verè cauſant, ſed verè cauſant, quandò ſolum ſunt vnitæ, ergo materia, forma, & vnio ſimul ſunt vera cauſa totius; aliter ſequeretur, quod nunc anima Petri mortui actu cauſaret, quæ non eſt corpori vnita; quod quidem falſum videtur, ergo ſolum cauſant partes, quando ſimul ſunt vnitæ, ſeparata namq; materia à forma, nihil reſultat totius, & ſeparata forma à materia, etiam nihil totius euenit, ſic pariter deſtructa vnione; igitur in tantum iſtæ partes cauſant, in quantũ ſimul vniuntur;

tur; Deducitur ergò, quod partes ſimul vnitæ, cum ſint cauſa totius, & cauſa diſtinguatur ab effectu, debeant à toto realiter eſſe diſtinctæ. Et hæc fundatur ratio in Philoſophi authoritate varijs in locis, præcipuè adhoc intentum 5. Metaphyſices cap. 14. dicentis, *Sex non eſſe bis tria, ſed ſemel ſex*, & 7. Metaphyſices cap. 17. *ſyllabam Ba non eſſe B. & A.* ſimiliter in ſecundo de Anima, vbi expreſsè ait: *Totum eſſe aliquid præter partes*, & hoc non alia ratione, niſi quia fundat diuerſam vnitatem, ab ea, quam fundant partes vnitæ, vnde iſtas ab illo inter ſe differre, neceſſarium eſt; Attamen quam pluribus obijci poteſt argumentis, &

Primò, ſi eſſet diſtinctio inter totum, & partes maximè adæquatè, vel inadæquatè: non adæquatè, quia tunc aliqua diſtinguuntur adæquatè, quando omnia, quæ ſunt in vno, non ſunt in alio, ſed compoſitum eſt materia, forma, & vnio, igitur non adæquatè: nec inadæquatè, quia tunc ſic diſtinguuntur, quando vnum includeret aliquid, quod non includeretur ab alio, ſed quicquid includit totum, includunt partes, ergo nec inadæquatè diſtinguuntur.

Se-

Secundò. Tali obijcitur medio, quando vnū, & aliud cōſtant ex eiſdem partibus numero, non diſtinguntur inter ſe, ſed totum conſtat eiſdē partibus, quibus conſtant partes vnitæ, ergo non diſtinguntur. Et ſit exemplum in libra plumbi; quæ, ſi in duas diuidatur medietates, non erit aliquid maius, quam medietates, ergo totum, conſtans ex partibus vnitis, non erit aliud à ſuis partibus.

Tertio. Sic inſurgi poteſt, ſi totū eſſet aliud à ſuis partibus, daretur tertia entitas omninò ſuperflua; patet, poſita materia, forma, & vnione intelligitur totum, ergo ſuperflua eſt illa tertia entitas, aliàs adueniret enti in actu, & conſtitueret vnum per accidens; iſtæ ſunt obiectiones, quæ in hac materia fieri poſſunt, aliæ namq; ad has reducuntur. Ad quas obiectiones reſoluendas notandum eſt, partes ſumi poſſe dupliciter, in fieri nempè, & in facto eſſe, ſeu tranſactas. In fieri ſunt, quando partes ſunt in via ad compoſitum, & ipſum cauſant. In facto eſſe, quando ex ipſis totum formaliter conſtituitur, non remanendo in ratione partium. Ex his patet primam obiectionem ſolum probare de-

par-

partibus in fieri, non verò de partibus tranſa-ctis; Iſtæ enim ſunt hoc modò extra totum, & Tertia entitas, quia homo non eſt materia, forma, & vnio, ſed ex materia, forma, & vnione.

Ad ſecundum dico, quod totum diſtinguitur à ſuis partibus adæquatis in fieri, non autem à partibus tranſactis, ſic enim idem ſunt, & ad exemplum de libra plumbi, nego quod medietates ſint ipſa libra, & licet habeant idem pondus, nihil contra, quia etiam duæ diuerſæ qualitates eiuſdem ponderis eſſe queunt. Exempli gratia, ipſamet libra plumbi, & libra ferri, & tamẽ inter ſe diſtinguuntur, ergo pariter quamuis habeant æquale pondus, libra cum ſuis medietatibus, libra, eiuſque medietates inter ſe diſtingui poterunt.

Ad vltimum, non eſt ſuperflua tertia entitas; ſed potius neceſſaria, ſecùs confunderetur totum, cum ſuis partibus, & valeret prædicatio in recto de toto, quæ valet de partibus, quod in Philoſophia haud admittitur, definitur enim homo phyſicè, quod ſit ex materia, forma, & vnione: non autem materia, forma, & vnio, nec eſt vnum per accidens, quia hæc tertia entitas

non aduenit alteri enti completo, ſed fit ens completum ex imcompletis, nempè partibus.

Verùm cum Philoſophi textus in prædictæ difficultatis, de diſtinctione totius à ſuis partibus, & è contra, deciſione dubius procedat, problematicam promiſi reſolutionem, quam equidem ſeruabo, ſi argumenta, quæ in principio pro parte affirmatiua dicta ſunt, ſoluero, ſic enim vtraq; ſibi ſententia, tàm in argumentis, quàm in reſponſionibus reſpondebit.

Quamobrem prænotari volo, aliud eſſe partes vnitas, & aliud materiam, formam, & vnionem. Primum importat communicationem partium, inter ſe: Secundum ſolum partes, ex quibus reſultat, quod componitur.

Dico ad primum de cauſis: verum eſſe, quod cauſa realis diſtinguatur à ſuo effectu reali, in quem influit: ſed falſum, quod partes vnitæ ſint cauſa totius, vt benè dicebat reſponſio, in eodē argumento ſuperius adducto; Vnde ad obiectionem, quod in tantum partes cauſant, in quātum ſunt vnitæ. Diſtinguo, partes inadæquatæ concedo; adæquatæ nego: non enim partes inadæquatæ debent ſumi ſolitariæ, & præciſæ, hoc

eſt

eſt materia vt ſic, vel forma vt ſic: ſed materia recipiens formam, ſi eſt in compoſitis materialibus, & in ſpiritualibus materia ſubſtentata à forma, & forma communicans ſuum effectum formalem, media vnione, & ita effectus, qui reſultat, non dicitur aliud à partibus vnitis, ſed ſunt ipſæmet partes, quæ à ſtatu ſeparationis, & multiplicitatis, in vnitatis ſtatum tranſeunt, & dicitur vnum compoſitum per ſe. quod quidem patet ex corruptione, quia quando deſtruitur hoç totũ compoſitum, nihil aliud fit, quam partium ſeparatio, ex quibus conſtabat: cum autem, quæ ſeparantur ſint ſolum materia, forma, & vnio; inde eſt, quod iſtæ erant in compoſito, & per hanc ſolutionem, omnia alia reſoluuntur argumenta.

Ad Philoſophi authoritatem dicentis, ſyllabam BA nõ eſſe B.& A. dico loqui, vel deſtructa vnione, vel quod non reddat eundem ſenſum, vel etiam, quod neget rationem vnitatis per ſe. Sic etiam patet ad alium textum de numero ſenario, quod bis tria non ſint idem, ac ſex: intelligi poteſt, quod non ſint idem formaliter, non verò realiter; Et etiam ad tertium, quod totum

ſit

ſit aliud præter partes: ſi enim intelligit de partibus vnitis, dicendum eſt, loqui de ipſis inadæquatè, ſi verò loquatur de partibus non vnitis (vt verè loquitur Philoſophus) diſtingui quidem realiter aſſerendum eſt, quod nos fatemur; nam tunc deficit modus realis, nempè vnio; Vnde communis ſolutio, partes, & totum diſtingui ad ſummum formaliter, &c.

Hæc pro Ariſtotelici textus explicatione mihi tenue ſuggeſſit ingeniũ, à quo expeditus, Hippocraticum, breuiter enucleandum aggredior Aphoriſmum,

Qui quidem eſt Tertius ex ſecundo libro.

Procedens à minus vniuerſali Apollineæ facultatis Princeps in prioribus egit aphoriſmis de ſomno in particulari, quatenus in acutis morbis bonum, vel malum portendit; hoc autem in aphoriſmo ad vniuerſaliora progrediens, non ſolum de ſomno, verum etiam de vigilia ſermonem inſtituit in eandẽ intentionem, dicens, (*Somnus, & vigilia vbi modum excedunt, malum.*)

Cuius ſententiæ rationem reddens, oſtendere intendit, non ſolum res præter naturam nocere, verum etiam naturales, quales ſunt ſomnus, &

C vigi-

vigilia, ſi extra modum ſint, quæ ſi in benè valentibus contingant, futurum morbum prudens præcaueat Medicus, qui ex illis innuitur, ex ſomno nempè frigidus; ex vigilia calidus. Tertio, vt in morbis ex vtroque malum coniectemus.

Quæ aphoriſtica ſententia in demonſtratiuũ reduci poteſt argumentum tali medio.

Id, quod, aut futurum demonſtrat morbum, aut præſentem augeri denotat, eſt malum.

Somnus, & vigilia vltra modum, aut morbum præſignant, aut præſentem deteriorem patefaciunt.

Somnus igitur, & vigilia modum excedentia, malum. Maior eſt clara, Minor probatur, quia ſomnus præter modum, indicium plenitudinis eſt in ſanis, quare morbi nuncius. In ægris malum, & vt cauſa, quia naturam hebetat, & vt ſignum, quia humiditatem, ſiuè frigiditatem excedentem innuit. Pari ratione vigilia: in ſano calidam indicat intemperiem, in ægro, & vt cauſa, quia vires diſſoluit, & vt ſignum, quia cerebri ſiccitatem, ac caliditatẽ præſignat. Circa quæ

Primò animaduertendum reor, ſomni modũ

conſiſtere, vt ſit mediocris quantitate, qualitate, & tempore: vbi igitur, aut multus eſt, aut profundus, aut commutatus, modum excedit. Nam naturalis ſomnus quantitate decem haud excedit horas, qualitate ſuauis, neque admodum profundus, tempore nocturno, vti conſuetum eſt; vbi igitur hæc innouata fuerint, malum portenditur, minus in benè valentibus, maius in ægrotantibus, & magis adhuc in acutis: eſt autem peſſima febris, cui perpetua ad ſomnum eſt propenſio, ſicuti cui perpetua eſt vigilia, attamen magis timendus eſt in calido morbo ſomnus, & vigilia in frigido: quia morbi malignitas patet ex illis; ſicuti peiùs eſt in ardenti febre, non ſitire, quam ſitire.

Secundo perpendendum venit, ſomnum vltra modum bifariè fieri poſſe, aut præter conſuetudinem, aut præter naturæ indigentiam. Intel igit Hippocrates de ſomno vltra naturæ exigentiam: nam fieri poteſt, vt ſomnus duorum, aut trium dierum non ſit malus, immò bonus in his, qui diù vigilarunt, veluti etiam in pueris. hic ergò ſomnus eſt porrò vltra conſuetum dormiendi tempus, at non extra naturæ neceſſitatem

tatem. quapropter ſomnus, & vigilia vltra modum, intelligere oportet mala eſſe, non quia ſolum conſuetum dormiendi, vigilandiq; tempus excedunt, verum vel, quia extra naturæ indigentiam ſunt; augetur enim calor per ſomnum quantitate, per vigiliam qualitate: quare vtriuſq; alternatio neceſſaria fuit: eſt enim ſomnus propter vigiliam à natura ordinatus, quia calidum ad vigiliam præparat.

Tertiò ponderandum puto, Somnum tantæ eſſe in nobis efficaciæ, vt non ſolum ad Sanitatem, verum etiam ad vitæ longitudinem, potentiſsimus ſit; maximũ enim eſt cruditatis remedium, & virium reſtauratio: decet namque multum dormire, atque præcipuè in cruditatibus; Crapulam enim, & ebrietatem diſcutit Somnus, qui nonſolum nocturnus, ſed etiam diurnus confert. Vnde à Cardano Ficinus arguitur, putans ad vitæ longitudinem ante diluculum ſurrectionem conducere; quippe illo tempore maximè ſomni iuuamenta pateſieri, quare potius dorniendum; at Ficinus prima nocte ſomnum ad ſaturitatem capiendum ſupponit, vt poſtea cum ſole homo ad opera ſe

 ex-

expeditiſſimus accingat.

Et hæc ſatis dicta ſint circa Hippocraticæ ſententiæ explanationem, quam ſui auctoris genuinam fuiſſe, mihi perſuaſum habuero, ſi vos, qui ſapientiſſimum Senem, & ſapientia, & doctrina repræſentatis, benigniſſimis calculis approbaueritis.

OBIECTIONES

PERILLVSTRIS, ET EXCELL.MI

D. IOANNIS TRVLLI

In Almó Gymnaſio Romano Publici Chirurgiæ, Anatomi, atque Profeſſoris, aduerſus laureandi explicationem.

IN arenam deſcendiſti explorata virtute miles, ac in te non diſparem video militũ Alexandri Macedonis fortunam, cum ille Orbis terrarum Imperium bello ſibi paraturus, veteranos milites, qui cum Patre Philippo militaſſent ſemper elegerit; Tu quoque Genitoris tui, tanquam noui Macedonis in Republica Medica, militaribus auſpicijs decoratus, eiuſq; virtutum robore armatus, & galeatus ingenio, ad litterarium certamen deueniſti, in quo doctrinarum præſidijs iam occu-

omnia vnum eſſe: nam hæc omnia, vel eſſent ſubſtantia, vel qualitas, vel quantitas: ſi ſubſtantia, vel eſſet ſimplex, vel compoſita, vel communis; ex his ſemper deduci debet non poſſe omnia vnũ eſſe: igitur &c. Et demonſtrat, quòd ſubſtãtia ſimplex nequit eſſe infinita, quia infinitas eſt paſſio quantitatis, quã ſi negat Meliſſus, negat infinitatem, & per conſequens falſum eſt, quod omnia ſint vnum infinitum; ſi dicit ſubſtantiam communem, iam plura ſub ſe continet. Commune enim eſt id quod à pluribus abſtractum ad ipſum aptum eſt deſcenderè; ſi quantitatem, vel qualitatem, iam daretur accidens extra ſubiectum, contra ipſius accidentis eſſentiam, quod debet inhærere ſubiecto. Hac ergo ratione conuicto Meliſſo, deſcendit Philoſophus ad textum 16., in quo ipſum ad extremum reducere conatur ex ipſiſſima ratione vnius. Quippè vnum, vel continuum, vel indiuiſibile eſt; vel ſpecie, ſeu definitione, & ex ratione vltimi, quod ſcilicet definitio conſtet ex genere, & differentia; infertur clarè, omne non eſſe vnum ſimpliciter, ſecus non daretur, vnde ſumenda eſſet ratio differendi, & conue-

nien-

niendi. Præterea indiuiſibile eſſe nequit, quia euerteretur poſitio quantitatis, cum ab hac res dicatur diuiſibilis. Ex his capitibus iam omnia, quæ inueniuntur, non ſunt vnum ſimpliciter. Si incidat in continui vnitatem, etiam patet, nec eſſe ſimpliciter vnum, quia continuum in infinitum ſecari, & diuidi poteſt: actu, vel poteſtate plura; Ex quibus verbis naſcitur occaſio noſtræ dubitationis cum Philoſopho textu 17. aſſerente (eſt autem de parte, & toto dubitatio, vtrũ pars, & totum vnum ſint, an plura. & quo pacto)

Cuius Textus difficultas in hoc maximè conſiſtit, an quando partes ſunt vnitæ media vnione, realiter ſint aliud à toto, quod ex ipſis reſultat? vt eſſet homo phyſicè ex materia, forma, & vnione compoſitus, ſitne quid aliud ab iſtis componentibus? Et videtur quod ſit, quia habet maximum fundamentum in cauſis, quæ diſtinguuntur realiter à ſuis effectibus; ſed ſic eſt, quod partes etiam vnitæ ſunt cauſa realis totius, igitur partes à toto ſunt aliud realiter. In prima propoſitione eſſe poſſet diſtinctio, nempè quod ſolum cauſa realis extrinſeca diſtinguatur à ſuo effectu: non verò cauſa intrinſeca, vt ſunt partes

tes reſpectu totius, quia cauſant per ſuimet exhibitionem, & quod erat antecedenter cauſa, fit effectus. Verùm iſta obiectio non ſoluit rationem adductam, nam etiam cauſa realis intrinſeca dicit cauſalitatem, quam non dicit compoſitum, ergo cauſa realis, etiam intrinſeca, diſtinguitur à ſuo effectu.

Dicunt contra primam propoſitionem, cauſam intrinſecam, ſolum eſſe veram cauſam partialiter, non verò adæquatè: puta, vel materia cum vnione, vel forma cum vnione, non autem materia, forma, & vnio ſimul ſunt cauſa totius.

Contra eſt, quia tunc materia, forma, & vnio ſunt actu cauſæ, quando verè cauſant, ſed verè cauſant, quandò ſolum ſunt vnitæ, ergo materia, forma, & vnio ſimul ſunt vera cauſa totius; aliter ſequeretur, quod nunc anima Petri mortui actu cauſaret, quæ non eſt corpori vnita; quod quidem falſum videtur, ergo ſolum cauſant partes, quando ſimul ſunt vnitæ, ſeparata namq; materia à forma, nihil reſultat totius, & ſeparata forma à materia, etiam nihil totius euenit, ſic pariter deſtructa vnione; igitur in tantum iſtæ partes cauſant, in quantũ ſimul vniuntur;

tur;

tur; Deducitur ergò, quod partes ſimul vnitæ, cum ſint cauſa totius, & cauſa diſtinguatur ab effectu, debeant à toto realiter eſſe diſtinctæ. Et hæc fundatur ratio in Philoſophi authoritate varijs in locis, præcipuè adhoc intentum 5. Metaphyſices cap. 14. dicentis, *Sex non eſſe bis tria, ſed ſemel ſex*, & 7. Metaphyſices cap. 17. *ſyllabam Ba non eſſe B. & A.* ſimiliter in ſecundo de Anima, vbi expreſsè ait: *Totum eſſe aliquid præter partes*, & hoc non alia ratione, niſi quia fundat diuerſam vnitatem, ab ea, quam fundant partes vnitæ, vnde iſtas ab illo inter ſe differre, neceſſarium eſt; Attamen quam pluribus obijci poteſt argumentis, &

Primò, ſi eſſet diſtinctio inter totum, & partes maximè adæquatè, vel inadæquatè: non adæquatè, quia tunc aliqua diſtinguuntur adæquatè, quando omnia, quæ ſunt in vno, non ſunt in alio, ſed compoſitum eſt materia, forma, & vnio, igitur non adæquatè: nec inadæquatè, quia tunc ſic diſtinguuntur, quando vnum includeret aliquid, quod non includeretur ab alio, ſed quicquid includit totum, includunt partes, ergo nec inadæquatè diſtinguuntur.

Se-

Secundò. Tali obijcitur medio, quando vnũ, & aliud cõſtant ex eiſdem partibus numero, non diſtinguntur inter ſe, ſed totum conſtat eiſdẽ partibus, quibus conſtant partes vnitæ, ergo non diſtinguntur. Et ſit exemplum in libra plumbi; quæ, ſi in duas diuidatur medietates, non erit aliquid maius, quam medietates, ergo totum, conſtans ex partibus vnitis, non erit aliud à ſuis partibus.

Tertio. Sic inſurgi poteſt, ſi totũ eſſet aliud à ſuis partibus, daretur tertia entitas omninò ſuperflua; patet, poſita materia, forma, & vnione intelligitur totum, ergo ſuperflua eſt illa tertia entitas, aliàs adueniret enti in actu, & conſtitueret vnum per accidens; iſtæ ſunt obiectiones, quæ in hac materia fieri poſſunt, aliæ namq; ad has reducuntur. Ad quas obiectiones reſoluendas notandum eſt, partes ſumi poſſe dupliciter, in fieri nempè, & in facto eſſe, ſeu tranſactas. In fieri ſunt, quando partes ſunt in via ad compoſitum, & ipſum cauſant. In facto eſſe, quando ex ipſis totum formaliter conſtituitur, non remanendo in ratione partium. Ex his patet primam obiectionem ſolum probare de

par-

partibus in fieri, non verò de partibus tranſa-ctis; Iſtæ enim ſunt hoc modò extra totum, & Tertia entitas, quia homo non eſt materia, forma, & vnio, ſed ex materia, forma, & vnione.

Ad ſecundum dico, quod totum diſtinguitur à ſuis partibus adæquatis in fieri, non autem à partibus tranſactis, ſic enim idem ſunt, & ad exemplum de libra plumbi, nego quod medietates ſint ipſa libra, & licet habeant idem pondus, nihil contra, quia etiam duæ diuerſæ qualitates eiuſdem ponderis eſſe queunt. Exempli gratia, ipſamet libra plumbi, & libra ferri, & tamẽ inter ſe diſtinguuntur, ergo pariter quamuis habeant æquale pondus, libra cum ſuis medietatibus, libra, eiuſque medietates inter ſe diſtingui poterunt.

Ad vltimum, non eſt ſuperflua tertia entitas; ſed potius neceſſaria, ſecùs confunderetur totum, cum ſuis partibus, & valeret prædicatio in recto de toto, quæ valet de partibus, quod in Philoſophia haud admittitur, definitur enim homo phyſicè, quod ſit ex materia, forma, & vnione: non autem materia, forma, & vnio, nec eſt vnum per accidens, quia hæc tertia entitas

non

non aduenit alteri enti completo, ſed fit ens completum ex imcompletis, nempè partibus.

Verùm cum Philoſophi textus in prædictæ difficultatis, de diſtinctione totius à ſuis partibus, & è contra, deciſione dubius procedat, problematicam promiſi reſolutionem, quam equidem ſeruabo, ſi argumenta, quæ in principio pro parte affirmatiua dicta ſunt, ſoluero, ſic enim vtraq; ſibi ſententia, tàm in argumentis, quàm in reſponſionibus reſpondebit.

Quamobrem prænotari volo, aliud eſſe partes vnitas, & aliud materiam, formam, & vnionem. Primum importat communicationem partium, inter ſe: Secundum ſolum partes, ex quibus reſultat, quod componitur.

Dico ad primum de cauſis: verum eſſe, quod cauſa realis diſtinguatur à ſuo effectu reali, in quem influit: ſed falſum, quod partes vnitæ ſint cauſa totius, vt benè dicebat reſponſio, in eodē argumento ſuperius adducto; Vnde ad obiectionem, quod in tantum partes cauſant, in quãtum ſunt vnitæ. Diſtinguo, partes inadæquatæ concedo; adæquatæ nego: non enim partes inadæquatæ debent ſumi ſolitariæ, & præciſæ, hoc

eſt

eſt materia vt ſic, vel forma vt ſic: ſed materia recipiens formam, ſi eſt in compoſitis materialibus, & in ſpiritualibus materia ſubſtentata à forma, & forma communicans ſuum effectum formalem, media vnione, & ita effectus, qui reſultat, non dicitur aliud à partibus vnitis, ſed ſunt ipſæmet partes, quæ à ſtatu ſeparationis, & multiplicitatis, in vnitatis ſtatum tranſeunt, & dicitur vnum compoſitum per ſe. quod quidem patet ex corruptione, quia quando deſtruitur hoc totũ compoſitum, nihil aliud fit, quam partium ſeparatio, ex quibus conſtabat: cum autem, quæ ſeparantur ſint ſolum materia, forma, & vnio; inde eſt, quod iſtæ erant in compoſito, & per hanc ſolutionem, omnia alia reſoluuntur argumenta.

Ad Philoſophi authoritatem dicentis, ſyllabam BA nõ eſſe B.& A. dico loqui, vel deſtructa vnione, vel quod non reddat eundem ſenſum, vel etiam, quod neget rationem vnitatis per ſe. Sic etiam patet ad alium textum de numero ſenario, quod bis tria non ſint idem, ac ſex: intelligi poteſt, quod non ſint idem formaliter, non verò realiter; Et etiam ad tertium, quod totum

ſit aliud præter partes: ſi enim intelligit de partibus vnitis, dicendum eſt, loqui de ipſis inadæquatè; ſi verò loquatur de partibus non vnitis (vt verè loquitur Philoſophus) diſtingui quidem realiter aſſerendum eſt, quod nos fatemur: nam tunc deficit modus realis, nempè vnio; Vnde communis ſolutio, partes, & totum diſtingui ad ſummum formaliter, &c.

Hæc pro Ariſtotelici textus explicatione mihi tenue ſuggeſſit ingeniū à quo expeditus, Hippocraticum, breuiter enucleandum aggredior Aphoriſmum,

Qui quidem eſt Tertius ex ſecundo libro.

Procedens à minus vniuerſali Apollineæ facultatis Princeps in prioribus egit aphoriſmis de ſomno in particulari, quatenus in acutis morbis bonum, vel malum portendit; hoc autem in aphoriſmo ad vniuerſaliora progrediens, non ſolum de ſomno, verum etiam de vigilia ſermonem inſtituit in eandē intentionem, dicens, (*Somnus, & vigilia vbi modum excedunt, malum.*)

Cuius ſententiæ rationem reddens, oſtendere intendit, non ſolum res præter naturam nocere, verum etiam naturales, quales ſunt ſomnus, & vigi-

vigilia, ſi extra modum ſint, quæ ſi in benè valentibus contingant, futurum morbum prudens præcaueat Medicus, qui ex illis innuitur; ex ſomno nempè frigidus; ex vigilia calidus. Tertio, vt in morbis ex vtroque malum coniectemus.

Quæ aphoriſtica ſententia in demonſtratiuũ reduci poteſt argumentum tali medio;

Id, quod, aut futurum demonſtrat morbum, aut præſentem augeri denotat, eſt malum.

Somnus, & vigilia vltra modum, aut morbum præſignant, aut præſentem deteriorem patefaciunt.

Somnus igitur, & vigilia modum excedentia, malum. Maior eſt clara, Minor probatur, quia ſomnus præter modum, indicium plenitudinis eſt in ſanis, quare morbi nuncius. In ægris malum, & vt cauſa, quia naturam hebetat, & vt ſignum, quia humiditatem, ſiuè frigiditatem excedentem innuit. Pari ratione vigilia in ſano calidam indicat intemperiem, in ægro, & vt cauſa, quia vires diſſoluit, & vt ſignum, quia cerebri ſiccitatem, ac caliditatẽ præſignat. Circa quæ

Primò animaduertendum reor, ſomni modũ

conſiſtere, vt ſit mediocris quantitate, qualitate, & tempore: vbi igitur, aut multus eſt, aut profundus, aut commutatus, modum excedit. Nam naturalis ſomnus quantitate decem haud excedit horas, qualitate ſuauis, neque admodum profundus, tempore nocturno, vti conſuetum eſt; vbi igitur hæc innouata fuerint, malum portenditur, minus in benè valentibus, maius in ægrotantibus, & magis adhuc in acutis: eſt autem peſſima febris, cui perpetua ad ſomnum eſt propenſio, ſicuti cui perpetua eſt vigilia, attamen magis timendus eſt in calido morbo ſomnus, & vigilia in frigido: quia morbi malignitas patet ex illis; ſicuti peiùs eſt in ardenti febre, non ſitire, quam ſitire.

Secundo perpendendum venit, ſomnum vltra modum bifariè fieri poſſe, aut præter conſuetudinem, aut præter naturæ indigentiam. Intel igit Hippocrates de ſomno vltra naturæ exigentiam: nam fieri poteſt, vt ſomnus duorum, aut trium dierum non ſit malus; immò bonus in his, qui diù vigilarunt, veluti etiam in pueris. hic ergò ſomnus eſt porrò vltra conſuetum dormiendi tempus, at non extra naturæ neceſſi-

catem

tatem. quapropter ſomnus, & vigilia vltra modum, intelligere oportet mala eſſe, non quia ſolum conſuetum dormiendi, vigilandiq, tempus excedunt, verum vel, quia extra naturæ indigentiam ſunt; augetur enim calor per ſomnum quantitate, per vigiliam qualitate: quare vtriuſq; alternatio neceſſaria fuit: eſt enim ſomnus propter vigiliam à natura ordinatus, quia calidum ad vigiliam præparat.

Tertiò ponderandum puto, Somnum tantæ eſſe in nobis efficaciæ, vt non ſolum ad Sanitatem, verum etiam ad vitæ longitudinem, potentiſsimus ſit; maximũ enim eſt cruditatis remedium, & virium reſtauratio: decet namque multum dormire, atque præcipuè in cruditatibus; Crapulam enim, & ebrietatem diſcutit Somnus, qui nonſolum nocturnus, ſed etiam diurnus confert. Vnde à Cardano Ficinus arguitur, putans ad vitæ longitudinem ante diluculum ſurrectionem conducere; quippe illo tempore maximè ſomni iuuamenta patefieri, quare potius dormiendum; at Ficinus prima nocte ſomnum ad ſaturitatem capiendum ſupponit, vt poſtea cum ſole homo ad opera ſe

 ex-

expeditiſſimus accingat.

Et hæc ſatis dicta ſint circa Hippocraticæ ſententiæ explanationem, quam ſui auctoris genuinam fuiſſe, mihi perſuaſum habuero, ſi vos, qui ſapientiſſimum Senem, & ſapientia, & doctrina repræſentatis, benigniſſimis calculis approbaueritis.



OBIE-

OBIECTIONES

PERILLVSTRIS, ET EXCELL.MI

D. IOANNIS TRVLLI

In Almò Gymnaſio Romano Publici Chirurgiæ, Anatomi, atque Profeſſoris, aduerſus laureandi explicationem.

IN arenam deſcendiſti explorata virtute miles, ac in te non diſparem video militũ Alexandri Macedonis fortunam, cum ille Orbis terrarum Imperium bello ſibi paraturus, veteranos milites, qui cum Patre Philippo militaſſent ſemper elegerit; Tu quoque Genitoris tui, tanquam noui Macedonis in Republica Medica, militaribus auſpicijs decoratus, eiuſq; virtutum robore armatus, & galeatus ingenio, ad litterarium certamen deueniſti, in quo doctrinarum præſidijs iam occu-

paſti Palæſtram. Verùm quia in bello gerendo, militis, qui dederit non minus, quàm qui receperit ictus, fuit aliquando Victoriæ triumphus: ideo tecum dimicaturus ad ſingulare certamen deuenio. At quoniam belli conditio eſt feralia prius immittere tela, quam nudo digladiari ferro, ideo philoſophico prius armorum genere prælium committam, deinde medicum enſem arripiam:

Hoc ergo philoſophicum contra te obijcio telum.

Si totum eſſet aliud à ſuis partibus, daretur tertia entitas omninò ſuperflua, ſed hoc eſt abſurdum; ergò &c.

Reſponſio ad Obiecta.

LAudes, quas à tanto Iudice mereri minimè poſſe ſemper cognoui; ab illius humanitate impetraſſe in præſentia experior, atq; confiteor, quam cum impugnare honeſtum minimè ſit, humillimas agens gratias argumentum doctiſſimum, quo meam impugnat concluſionem, diſſoluere pro viribus conabor.

Argu-

Argumenti reaſſumptio, & ſolutio.

SI totum eſſet aliud à ſuis partibus, daretur tertia entitas omninò ſuperflua, nego ſecundam partem ſequelæ maioris: nempe, quod daretur tertia entitas omninò ſuperflua, immò neceſſaria: (vt in philoſophici textus explicatione ſuperius dixi) nam ſecùs confunderetur totum cum ſuis partibus, & valeret prædicatio in recto de toto, quæ valet de partibus, quod in philoſophia non admittitur: ſed dari tertiam entitatem eſt abſurdum, diſtinguo minorem: dari tertiam entitatem, omninò ſuperfluam, eſt abſurdum concedo minorem: non ſuperfluam, nego minorem; ergò totum non diſtinguitur à ſuis partibus, nego conſequentiam.

Replicatio argumentantis.

PRobo ſecundam partem ſequelæ maioris. Poſita materia, forma, & vnione intelligitur

gitur totum, ergò ſuperflua eſt illa tertia entitas.

Reſponſio.

DIſtinguo antecedens: Poſita nempè materia, forma, vnione intelligitur totum reſultans ex ipſis, concedo antecedens: intelligitur totum, quod ſit materia, forma, & vnio, nego antecedens. Nam (vt ſupra dixi) definitur homo phyſicè, quòd ſit ex materia, forma, & vnione, non autem quod ſit materia, forma, & vnio, ergo ſuperflua eſt illa tertia entitas; Nego conſequentiam.

OBIE-

Digitized by Google

OBIECTIO EIVSDEM D. TRVLLI

Aduerſus Medici textus explicationem.

PHyſicum vibraui iaculum, ſed tu illud ſtrenuè propuliſti, caue pariter ne à medico enſe vulneretis, cuius talis impetus eſt.

Argumentum.

IDeo ſomnus, & vigilia, ſi immoderata fuerint, lædunt, quia à ſomno fit maxima capitis repletio, & à vigilia maxima eiuſdem reſiccatio, ſed dantur morbi, in quibus ambo ſalutares ſunt, ergo falſa eſt Hippocratis concluſio.

Reſpon-

Reſponſio.

VT magis meam tuis acutiſſimis ſophiſmatibus ad rerum veritatem elucidandã excutias ignauiam, ingenioſè Hippocraticam ſententiam ad mei ipſius inſtructionem impugnare conaris tali medio.

Ideo ſomnus,&c. concedo cauſalem maioris, ſed dantur morbi, in quibus ambo ſalutares ſunt, non excedentes modum, & iuxta naturæ exigentiam, & neceſſitatem: concedo minorem: dantur morbi, in quibus ambo excedentes modum, & præter naturæ exigentiam,& neceſſitatem ſunt ſalutares: nego minorem. Et dico (prout ſupra annotaui), quòd ſomnus vltra modum dupliciter fieri poteſt, aut præter conſuetum dormiendi tempus: aut præter naturæ neceſſitatem; Hippocrates intelligit de ſomno naturæ exigentiam excedente, non verò de excedente conſuetum dormiendi tempus, & iuxta naturæ exigentiam, & neceſſitatem: nam fieri poteſt in ijs, qui diù vigilarunt, ſicuti etiam in pueris, vt ſomnus duorum, aut trium

dierum,

dierum, non ſit malus, immò bonus, ergo falſa Hippocratis concluſio, negò conſequentiam,

Reaſſumptio argumenti.

PRobo minorem: In febre ardenti ratione ſiccitatis cerebri conuenit euaporatio ad caput in lethargo verò ratione plenitudinis conuenit excedens vigilia, quæ humores diſſoluat. Ergo dantur morbi, in quibus ambo ſalutares ſunt.

Reſponſio.

DIſtinguo antecedens: In febre ardenti ratione ſiccitatis cerebri conuenit euaporatio ad caput, euaporatio puta dulcis, & iuxta naturæ indigentiam modum non excedens, concedo hanc primam antecedentis partem, ſecus nego: In lethargo verò ratione plenitudinis conuenit excedens vigilia: diſtinguo hanc ſecundam: conuenit excedens vigilia,

lia conſuetudinem vigilandi, tranſeat; conue-nit excedens vigilia naturæ neceſſitatem, & nego hanc ſecundam partem. Ergo dantur morbi, in quibus ambo ſalutares ſunt: diſtinguo conſequens: dantur morbi, in quibus ambo ſalutares ſunt, non excedentes modum, & iuxta naturæ exigentiam; cócedo conſequentiam; Excedens, & præter ipſius naturæ neceſſitatem, nego conſequentiam,



MOR-

MORBVS CVRANDVS EIDEM D. VINCENTIO BELLINSANIO PROPOSITVS.

A Perilluſtri, & Excellentiſſimo

D. BENEDICTO RITA

Almi Gymnaſij Profeſſorum Medicinæ, & Collegij Archiatrorum Decano.

NOn minus docta, quàm erudita, tùm Stagyritæ, tùm cõmuni textuum interpretatione, nec non acutiſſimarũ obiectionum enodatione perbellè cognouerunt Sapientiſſimi Archiatri, Nobiliſſimi Aſsidentes, nouum in hoc Romanum Lyceũ deueniſſe Alcidem, nam quemadmodum ille in ſua pueritia proprijs manibus ſerpentes iugulauit,

Digitized by Google

lauit, pariter hic ſua induſtria, & laboribus deteſtabile ignorantiæ monſtrum debellauit, ſed nil mirum; omnes enim ad medicinam addiſcendam neceſſarios habuit duces, quod magnus ponit Hipp. in lege, videlicet, naturam, doctrinam, inſtitutionem à puero, mores, locum ſtudijs deditum, ſummam induſtriam, & tempus, nil mirum inquam, nam ex vngue Leonem, à debilibus debiles, à fortibus fortes, à ſapientibus ſapientes procreantur filij. Virum celeberrimum habuit docentem genitorem ſuum, meũ olim diſcipulum, nunc verò tanquam optimum præceptorem veneror, cui in omnibus, in quibus me deprecatus fuerit, ſatisfacere debeo, iuſſit enim, vt cum proprio certarem filio, pugnare tamen vereor, ne, vt Hercules Anthæũ brachijs conſtringendo, illiuſq; dyaſtolem, atq; ſyſtoles prohibens, in aere ſuffocauit, ita nouus Hercules ſuę doctrinę vinculis me abſorbeat; pugnabo tamen, & de illius victoria gloriabor, & cum vulgari Poeta hilari fronte canam;

E del ſuo Vincitor ſia gloria il vinto.

Contendam igitur, non tamen morſu, ſed leui, beneuoloq; latratu, vt quemadmodum

circa

circa Theoricam, ita circa praxim acuties ingenij Adoleſcentis Lucenſis luceat.

Quapropter propono tibi Iuuenem curandum ætatis annorum viginti quinque, temperamenti bilioſi, qui ob varios errores commiſſos in ſex rebus non naturalibus, & præcipuè circa venationē, & vini Falerni potionem, incidit in febrem, cuius principium fuit cum rigore, & doloribus punctorijs circa peripheriam, paroxiſmi ſtatus cum calore mordaci, ſiti, pulſu frequenti, flauis lotijs, bilioſis excrementis, declinatio cum ſudore, acceſſio non pertranſijt duodecim ſpatium horarum, ſecunda die benè ſe habuit; tertia die rediuit febris cum iiſdem ſymptomatibus. Quæro igitur huius febris eſſentiam, cauſas antecedentes procatharticas, atq; coniunctas, ſigna diagnoſtica, & prognoſtica, ac tandem prudentiſſimam curationem.

RESPONSIO D. VINCENTII BELLINSANII

Pro curatione propoſito morbo adhibenda.

LAudes, quibus me exornas, vir celeberrime, ſi non in præſenti; merebor forſan in futurum, auſpice te præceptore, à cuius fæcundiſſimo vbere, prima, & ſuauiſsima medicinæ alimenta ſuxiſſe, meus etiam parens D. Prothomedicus fatetur ingenuè, & veneramur vterque.

Quemadmodum Protogenes ex linea Apellē cognouit, ſic ego ex ſignis mihi ab Excellentiſſimo D. propoſitis facilè conijcio morbum, quo præfatus iuuenis conflictatur, eſſe febrem tertianam, ſimplicem, exquiſitam, de genere putridarum intermittentium; quæ quidem definitur, quod ſit intemperies calida, & ſicca cordis facta à flaua bile putreſcente extra venas. Et ex hac definitione deſignantur morbus, cau-

ſa

ſa ipſius, & pars affecta. Nam morbus deſignatur per intemperiem calidam, & ſiccam cum materia. Cauſa duplex eſt, nempe externa, & interna. Externa eſt multiplex, & cõpræhendit omnes calorificos exceſſus in ſex rebus non naturalibus. Interna verò rurſus duplex eſt, nempè Antecedens, & Coniuncta; Antecedens triplex eſt, nempè Ætas, temperamentum, & habitus corporis. Coniuncta verò eſt vnica, nempè ipſa flaua bilis actu putreſcens. Pars affecta diſtinguitur in primariam, & ſecundariã, nam Cor primariò afficitur, ſecundario verò totum corpus, præcipuè verò hepatis cauitates, cyſtis, cholidochæ, cæteræque adiacentes, in quibus flaua bilis, æſtuans, naturam irritans, & per ſenſibiles, nempè membranoſas corporis partes delata, rigorem, ac febrem accendit.

Dixi hanc febrem eſſe tertianam, quoniam de tertio in tertium inuadit: dixi, ſimplicem, quia non eſt mixta cum pituita, neque cum melancholia, ad differentiam tertianæ nothæ; ac tandem dixi, putridam intermittentem, ad differentiam ephemerarum, & ethicarum, nec non etiam continuarum.

Præterea ſigna recenſenda ſunt: quæ diſtinguuntur in Diagnoſtica, & Prognoſtica. Diagnoſtica ſunt illa, quæ abundè fuerunt recenſita ab Excellentiſsimo Domino, videlicet rigor validus in principio febris, ac totum corpus concutiens, cui poſt horam calor ſucceſſit acer, ac ſiccus, pulſus magnus, celer, & frequens, ſitis valida, inquietudo, & capitis dolor, necnon etiam bilioſus vomitus inter rigorem, & calorem ſuperueniens, & demum intermiſsio febris per integrum diem, ſed tertio recedens.

Prognoſtica ſunt triplicia, quorum alia ſignificant futurum euentum, alia tempus, & alia modum euentus. Quoad futurum euentum iuxta doctrinam Hippocratis, dico, fore ſalutarem, dummodo non fiat continua, neq; perniciosa, aut maligna. Quoad tempus pariter iuxta doctrinam Hippocratis, ſeptennis ad ſummum circuitibus iudicari ſolet; Et quoad modum iudicari ſolet, vel per ſudorem, vel per vomitum, vel per diarrheam bilioſam.

Ab his expeditus curationem aggredior, quæ vt dogmatica ſit, à ſuis indicationibus elicienda eſt. Indicationes autem deſumuntur ab his,

quæ

quæ ſunt præter naturam, nempè à morbo, cauſa ipſius, & à ſymptomatibus; & ab his quæ ſunt ſecundum naturam, nempè à viribus, Morbus igitur cum ſit intemperies calida, & ſicca indicat refrigerantia, & humectantia; Cauſa ipſius nempè bilis fluua ſui præparationem, & expurgationem ſymptomata ſui mitigationem, & vires ſui conſeruationem. Pro quarum indicationum complemento multiplicia ſe ſe offerunt remedia ex triplici Medicinæ armamentario deſumenda; nempè Chirurgico Pharmaceutico, & Dietetico.

Quoad Chirurgicum præmiſſa primarum viarum lenitione, detrahendus eſt ſanguis ex baſilica dexteri brachij ad vncias quinq; vel ſex, eaq; ſi opus fuerit, vel repetenda ex altero brachio, vel promouenda ex hæmorrhoibus hyrudinum admotione. Verum quidem eſt, quod aliqua diſputatio nonnullos auctores diſtractos tenet opinantes cum Auicenna ſanguinem, vt potè frenum bilis nõ eſſe in hac febre detrahendum, & præcipuè, quod Galenus in libro de arte curatiua ad Glanconem, huius febris curationẽ docens, nec verbum quidem de hoc remedio

 facit.

facit, Verum tamen cum præcipuis Medicinę Doctoribus cenſeo, eſſe detrahendum ſanguinem, quandoquidem in doctrina eiuſdem Galeni in omnibus putridis febribus, ſaluberrimum eſt ſanguinem detrahere, ibiq; Galenus loquitur de particulari huius febris pharmacia, non autē de Chirurgia, quam alibi vniuerſaliter indicauerat.

Quoad Pharmaceuticum ſe ſe offerunt medicamenta duplicis generis, nempè alterantia, & purgantia. Alterantia deſignantur cum ſyrupis matutinis refrigerantibus, & humectantibus, quales ſunt ſyrupi de ſucco limonum, de ſucco ribes, de ſucco omphacij, de ſucco oxalidis, alijq; huius generis, diluti cum aquis refrigerantibus, nempè endiuiæ, oxalidis, ſonci, boraginis &c. in hoc cenſu recenſentur etiam varia refrigerantium potionum genera, compoſitarum, vel ex prædictis aquis ſtillatis, vel ex aqua hordei alteratis cum admixtione, vel prædictorum ſyruporum, vel ſuccorum, vel conſeruarum refrigerantium.

Purgantia verò ſunt, vel lenientia, vel electiuè purgantia, ſeù eradicantia; Lenientia

maximè

maximè neceſſaria ſunt in principio morbi ad tollendam biliosam cacochyniam ſtagnantem in primis vijs, eaq; exhiberi quidem poſſunt, vel in forma vomitorij, vel in forma clyſterij, vel in forma deiectorij, mihi autem maximè arridet in forma deiectorij: Quamobrem ſi placet in forma boli, poteſt exhiberi pulpa caſſiæ, & tamarindorum ad vnciam vnam cum dimidia, vel ſi in forma potionis poteſt exhiberi ſyrupus roſatus ſolutiuus ad vncias 3. cum totidem vncijs ſyrupi violati, cum aqua boraginis. Purgantia verò locum non habenr, niſi declinante morbo, ſcilicet iam patefactis ſignis pepaſmi. Exempli gratia poteſt dari potio ſupradicta addita drachma vna rhabarbari infuſi.

Quoad Dieteticum conuenit victus frigidus, humidus, ac tenuis, febricitantibus omnibus communis; Potio ſit ex aqua hordei craſſa, vel ex limonea, vel ex ſimilibus: & vt vnico me verbo expediam, ſex rerum non naturalium vſum morbo omninò contrarium inſtituere debemus.

POSTVLATIO
DOCTORALIS GRADVS
In Philoſophia, & Medicina

A D. VINCENTIO BELLINSANIO
Facta.

HOnor Virtutis eſt anima, ſi Latinæ Eloquentiæ Dynaſtæ adhibenda eſt fides, quo amoto ipſa moritur virtus; ideo vt inchoata in me virtus, ſuas conſequatur vires, Peto à Perilluſtri, & Excellentiſſimo Domino Prothomedico in Philoſophia, & Medicina Doctoratus Inſignia.

Digitized by Google

SENTENTIA
A PERILL.^{MI} ET EXCELL.^{MO} D. PROTOMEDICO
Prolata
DE SVPRADICTO D. VINCENTIO BELLINSANIO

Doctorali Laurea Decorando.

Iuxta Decretum prius communi viuæ vocis oraculo habitum.

Deinde Archiatrorum omnium ſecretis votis firmatum.

DOctoratus Laurea, quam merito à nobis poſtulas VINCENTII BELLINSANI, fili in promptu eſt, illam perhumaniter tibi præparat candidiſſimis calculis celeberrimus hic Archiatrorum Romanorum conſeſſus; etenim in explicatio-

catione Ariſtotelici textus de æqualitate, & inæqualitate totius ad partes, & partium ad totum, quæ tuæ partes fuerunt in totum peregiſti, & de aphoriſtica Hippocratis ſententia ſermone inſtituto, rationibus potiſſimis ſomni excedentis modum detrimenta, nec non etiam vigiliarum, atque lucubrationum in diluculo iuuamina oſtentaſti, & cum clariſſimis Apollineæ artis luminibus omnibus ſatis notum feciſti, & quod melius eſt tu hodierna die, mea cum hilaritate, tuaque ſumma cum laude fæliciſſimè experiris. Litterarium enim hoc in Romano Archiliceo triumphum tibi contraxiſſe, ſolummodò vigilias neceſſum eſt, vt pro confeſſo habeas. Obiectiones autem eximij Viri noſtri Collegij, imò noſtri ſæculi ornamenti D. Ioannis Trulli à te ingenioſè dilutæ monitum faciunt in poſterum, etiam tibi ſemper fore pugnandum, verè enim vita hominis medici militia eſt ſuper terram, pugnant, namque ſemper præcipuè cum morbis immaniſſimis humanæ naturæ monſtris. Ideoque propoſitus tibi curandus morbus faciliori methodo, & nobiliori medicamine à te debellatus, alta in mente re-

poſi-

Digitized by Google

poſitum faciat Hippocratis ſapientiſſimi ſenis monitum omnibus medicinæ ſtudioſis, nempè: accidunt ſæpè monſtra in arte, ad quæ debellanda armamentaria medica, ſapientum virorum videlicet monumenta præ manibus reuoluenda perpetuo ſunt. Vnde tibi cum Alexandro illo Macedonum Rege lugendum non eſt, quod vno deuicto, alij non remaneant ſuperandi terrarum orbes. Lætare potius, perge alacriter, victorias feſtinanter ſequere, heu quot enim! heu quanta remanent adhuc perdiſcenda in vita breui, in arte longa! quamuis multa didiciſſe tibi adoleſcenti forſan videri poſſis; Audi igitur, quæ tibi per Eccleſiaſticum Spiritus Sanctus præcipit. *Fili à Iuuentute tua excipe doctrinam, & vſque ad canos inuenies ſapientiam. Fructus inde ab ea expecta.* Fructus inde ab ea expecta, dicit Dominus, in huius ergo Diuini oraculi comprobationis initium, & ad maiora incrementum (quod te verum faceſsere, humiliter Deum deprecor.)

Nos

NOS LVDOVICVS BELLINSANIVS *Lucenſis totius Eccleſiaſtici Status Generalis Protomedicus, nec non celeberrimi huius Romanorum Archiatrorum Collegij Prior, authoritate qua fungimur veluti Protomedicus Generalis multis ab hinc ſæculis à Summis Pontificibus huic Almo Collegio conceſſa, & pluries ab eorum ſucceſſoribus confirmata, nec non etiam authoritate Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Antonij Barberini Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarij, cuius etiam vices in hac functione gerimus, te* VINCENTIVM BELLINSANIVM *Lucenſem filium noſtrum in Philoſophia, & Medicina Doctorem creamus, declaramus, & pronunciamus; Dantes inſuper facultatem celeberrimo viro Promotori Tuo, vt te de more exornet, & Apollineis faſcibus inſigniat.*

ALLO-

Digitized by Google

ALLOQVVTIO

SOLEMNIBVS VERBIS HABITA

A Perilluſtri, & Excellentiſs. Promotore

D. ANTONIO PLACENTIO.

Dum Doctoralia Inſignia in Philoſophia, & Medicina ſupradicto

D. VINCENTIO BELLINSANIO

Conſerret.

SOcrates nocte antecedenti diem, quo Plato ſibi à Patre Ariſtone commiſſus fuit, vidit per ſomnium Oloris pullum ſibi in gremium aduolare, ac ſuauiſſimos edere cantus. At mihi pariter hodie (*Candidate ornatiſſime*) te canorum Cygnum, ſeu potius Amphyonem promouere datum eſt, qui ſuauiſſimo ſapienti melo

nos

noſ omnes in tui admirationem,& cõmendationem profuſos reddidiſti: Equidem debitis te laudibus celebrare mea lingua non valet, ſed ob earum immenſitatem ſatius decet ſilere,quàm parum dicere. Etenim,ſi tua geneſis,cum indole conferatur, vident omnes, quantum referat à Viro præclariſſimo, ac ſapientiſſimo fuiſſe ſatum, & inſtitutum, cuius eximiæ virtutes in te traductæ pullulāt, & acta,& mores quotidiè imitaris. Siquidem, vt bene cecinit Romanæ fidicen Lyræ.

Fortes creantur fortibus ----------
---------- nec imbellem feroces
progenerant Aquilæ Columbam,

Et vt Claudianus in Panegyrico Honorij.

Non tibi deſidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec ſomnos Genitor permiſit inertes.

Et ſi ætas cum ſapientia conferatur, ob illius exiguitatem, & huius amplitudinem omnibus ſtuporem incutis, & palam conſtare facis, quod Sapientia non ſemper ætati concreſcit, & quod tempora virtutem nec prima negant, nec vltima donant.

Quamobrem vniuerſos candidatos, veluti flos cāpi ſpecioſus ſupereminens, eoque iucundior quod antequam floreſceres fructus matureſcentes produxiſti, imò eam Lyſimachij ſpeciem perbellè repreſentaſti, qua quoniam fructus prius quàm purpureos flores emittit, meritò à Botanicis filius ante patrem appellatur.

Tuo interim præclariſſimo Genitori noſtri Medici

dici Senatus Principi digniſſimo, ac Domino meo dilectiſſimo, ex corde gratulor, quod tantum filium pluſquam Rhodius Diagoras vna, eademq. die triplici triumpho, ac triplici corona decoratum videat in paleſtra nimirum Peripathetica, Hippocratica, ac Therapeutica, imò eo felicior, quòd eius cor præ gaudio non laxatur ad mortem, ſed ad Neſtoreā vitam roboratur cum tanto Atlāti ſub medica mole iam propè fatiſcenti tu nouus Hercules Succenturiator adoleueris.

Tandem verò, ne emendicata panegyri vobis adulari videar, neuè ſingularem veſtri animi, atque inde oris, & aurium modeſtiam interturbē, ſileo, quoniam omnium plauſibus, & encomijs theatrum aperuit tua virtus, & indoles.

Супereſt modò, vt ſplendidis ornamentis, & eximijs honoribus decoreris, quos noſter Archiatrorū Senatus tuis meritis rependit, ac tibi, tuiſque fauſtos auſpicatur, in hac re Conſtantinum Auguſtum imitatus, qui in epiſtola ad Voluſianum Medicos omnes, maximè verò Archiatros, & Archiatrorum filios maximis honoribus, & immunitatibus eſſe cohoneſtandos præcepit.

Propterea ſede, ex qua ſeſſione enunciatur datam tibi eſſe poteſtatem cathedram magiſtralem aſcendendi, ex eaque docendi, legendi, necnon etiam gloſſandi, & interpretandi Ariſtotelem, Hippocratem, Galenum, Auicennam, cæteroſq. Philoſophiæ, & Medicinæ Antiſtites Doctores. Hæc autem ad

Cathe-

Cathedram promotio ſaxit Deus, vt fauſtum præferat omen, ſitque prodroma exaltationũ ad Principum Aulas, adeòq. in conſpectu Magnatum collaudatus ea forma forma aliquando exaltari merearis, qua veteres Imperatores (referente Caſſiodoro) ſuos Archiatros eligere conſueuerunt dicentes; *Indulge noſtro palatio, habeto fiduciam ingrediendi, fas tibi ſit nos fatigare ieiunijs, fas tibi ſit contra noſtrum ſentire deſiderium*.

Hoſce libros tibi primum clauſos propono, ſignificans tuum ingenium haſce doctrinas iam ſatis delibaſſe, & ijs imbutum portatilem bibliothecam factũ eſſe, necnon etiam vt omnibus palam fiat te Doctorem proprij iuris, & ab hiſce independentem conſtitui; Eoſdem verò apertos offero, vt in quocunque memoriæ lapſu, eoſdem adeas, in ijſque reuoluendis impalleſcas, cum Palladem à pallore dictam fuiſſe cenſeat Ficinus, & memoriam Muſarum matrem Poetæ ſibi finxerunt.

Annulum aureum tuo digito immitto Caduceum equeſtris Ordinis, ac ſymbolum nobilitatis, in quam hodie cooptaris, & quo Auguſtus Cæſar Antonium Muſam Archiatrum ſuum, cæteroſq. Medicos, cum annexis, immunitatibus, & honoribus in perpetuum cohoneſtanit; Imò tibi perſuaſum habeas noſtrum Ordinem eò eſſe militari præſtantiorem quo Toga eſt armis præſtantior, & quo Cathedræ, quàm equo inſidere laudabilius eſt.

Pileum tuo capiti impono, plura inſignia in Candidato

didato Medico myſticè ſignificantem. Primo enim eſt inſigne eximiæ nobilitatis, quoniam antiquis tēporibus ſoli Illuſtres Viri, & ob magnum aliquod facinus glorioſi pileati incedere permittebantur, & ex legibus Imperatorum, & præcipuè Theodoſij, & Honorij habemus Medicos olim tantam ciuilem dignitatem, & nobilitatem conſecutos, vt in priuilegijs, & honoribus Comitibus æquarentur. Secundo eſt inſigne libertatis, qua fruimur, & quam medendo cæteris impartimur, & inde eſt quod à Græcis Caſtor, & Pollux, necnon ipſe Hippocrates, eò quod Græciam à peſte liberaſſent, pileati figurabantur. Tertio eſt inſigne doctoralis coronæ, qua noſter Senatus te cohonorat: nam iuxta prouerbium Salomonis. *Sapientia dabit capiti tuo augumentum gratiæ, coronam decoris dabit tibi*; Hanc autem coronam triplicem Benemerenti tribuo, ſcilicet lauream, quernam, & roſeam; Nam laurea tibi debetur ad denotandam victoriam in paleſtra litteraria acquiſitam, & ex morborum profligatione quotidie magis acquirendam. Querna debetur, vt fortitudinis ſignum, qua pro ſeruandis Ciuibus munitus es. Debetur & Roſea tanquam ſilentis ſymbolum, & Harpocrati conſacrata, vt memor Hippocratici Iuſiurandi quæcumque medicinam faciens in communi hominum vita, vel videris, vel audiueris, quæ minimè in vulgus efferri oporteat, ea velut arcana eſſe ratus ſileas, & ſub Roſa teneas; Inſuper etiā vt ſcias, te plus in opere, quàm ſermone debere eſſe ſollicitum.

Digitized by Google

tum. Nam ideo Medicina à Virgilio ars muta dicta fuit, quia, vt inquit Celſus. *Morbi non eloquentia, ſed remedijs ſanantur*, & iuxta Menandri carmen,

Medicus loquax alter languenti morbus eſt.

Tandem hiante corde, & expanſis vlnis te amplector, adeòq. in numerum Romanorum Medicorum coopto. Viue diù fælix ad Reipublicæ vtilitatem, Præclariſſimi Genitori gaudium, Familiæ exaltationem, & omnipotentis Dei gloriam.



D. VIN-

D. VINCENTII BELLINSANI

IAM LAVREATI

Gratiarum actio.

EQuidem, niſi ingrati animi vitium me incurſurum arbitrarer, Archiatri Excellẽtiſſimi, *à ſolita gratiarum actione, abſtinerem, quid enim agendo gratias veſtræ magnitudini, ac humanitati rependam, niſi tantum verba, & voces? Eas tamen admittere ne grauemini, quæ eò ſolent eſſe præſtantiores, quò animi grati conceptiones ſignificant. Ago igitur vobis gratias, & ſi pares accepto beneficio non ſunt humanam excuſate conditionem. Tres enim Gratiæ cùm ſint, impares eſſe ſemper habent.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Haud auro fulgens, nec Cedro Charta noteris,
Te decet Auctoris, Symbola ferre tui.

Digitized by Google

Haud auro fulgens, neč Cedro Charta noteris;
Te decet Auctoris, Symbola ferre tui.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google